

Resurre-
ctione ?

nis suæ veritatem Angelorum testimonio confirmare Christus voluit, quo fides ejus tantò esset perfectior. Sicut enim per Angelorum ministerium tum conceptio ejus Mariæ virgini, *Luc. 1, 26.* tum pastoribus Nativitas annunciata fuit *Luc. 2, 9.* Ita quoque Resurrectio illius per Angelos significanda erat. Et, ut Angelus expulso Adamo hortum paradisi gladio flammeo custodivisse dicitur, *Gen. 3.* Sic & Angelus Paradisi cœlestis reclusionem veste flammeâ notificare debuit.

S. 7. Per vivos autem testes terrestres intelligi volumus partim mulieres illas pientissimas, quæ ad sepulchrum Christi, corpus ejus unctum, profectæ erant, videlicet tum Mariam Magdalenam, *Joh. 20, 18.* & *Marc. 16, 9.* & 10. tum reliquas mulierculas *Matth. 28, 9.* & seqq. Partim etiam Discipulos Christi ipsos, quorum testificationi non minorem certè fidem debemus atque Angelorum. *Conf. 2. Pet. 1, 21.* Licet enim illis Resurrectio persuaderi antè non potuerit, nisi propriis ipsum oculis suscitatum viderent, *Joh. 20, 25.* *Marc. 16, 11.* & 13. *Luc. 24, 11.* & præterea ex esu piscium favi que cognoscerent *Luc. 24, 41.* & seqq. tamen postea eam & doctrinâ & vitâ, imò sanguine suo confirmarunt. *Confer Act. 2, 24.* & seqq. *cap. 3, 15.* *c. 4, 10.* *c. 5, 30.* & seqq. & c.

S. 8. Testibus his adjungimus quoq; milites sepulchri custodes, quorum corruptio à Pontificibus facta itidem argumentum nobis evidentissimum præbet. Hi enim terræ motu insolito & Angeli conspectu urbem aggrediuntur, & Principibus sacerdotum annunciant omnia, quæ acciderant; quomodo scilicet clauso & obsignato sepulchro non esset repertum corpus Christi, & quomodo Angelus mirabili specie removerit saxum, ut ipsi terræ motu ac metu exanimati, fugâ tandem dilapsi fuerint? Quibus cognitis, mirum in modum discruciantur principes illi sacerdotum, nec quiescere prius valent, quàm deliberatione institutâ, mendacium à custodibus pecuniâ redemerint. Quod ipsum dubio procul non fortuna fortè, sed divinâ providentiâ ita disponente factum fuit; nimirum partim, ut traditio Christi & Resurrectionis negatio convenirent. Sicut enim antea proditoris operam pecuniâ conduxerant; ita
jam